

quo tempore † exiit gratior aquarum sinceritas exigitur. et alter quidem ex his, id est Anio vetus, cum plerisque 91 libra sit inferior, incommodum intra se tenet. novus autem Anio vitiabat ceteras; nam cum editissimus veniat et in primis abundans, defectioni aliarum succurrit. in-
 5 peritia vero aquariorum deducentium in alienos eum specus frequentius, quam explemento opus erat, etiam sufficientes aquas inquinabat, maxime Claudiam quae per multa milia passuum proprio ducta rivo, Romae
 10 demum cum Anione permista in hoc tempus perdebat proprietatem. adeoque † obvenientibus non succurrebatur, ut pleraeque accerserentur per imprudentiam non uti dignum erat aquas partientium. Marciam ipsam frigore et splendore gratissimam balneis ac fullonibus
 15 et relatu quoque foedis ministeriis deprehendimus servientem. omnes ergo discerni placuit, tum singulas ita 92 ordinari ut in primis Marcia potui tota serviret et deinceps reliquae secundum suam quaeque qualitatem aptis usibus adsignarentur, sic ut Anio vetus pluribus ex
 20 causis quo inferior excipitur, minus salubris in hortorum rigationem atque in ipsius urbis sordidiora exiret ministeria. nec satis fuit principi nostro ceterarum resti- 93 tuisse copiam et gratiam; Anionis quoque novi vitia excludi posse vidit. omisso enim flumine <aquam> re-
 25 peti ex lacu qui est super villam Neronianam Sublaquensem, ubi limpidissima est, iussit. nam cum oriatur Anio supra Trebam Augustam, seu quia per saxosos montes decurrit pauci<ssim>is circa ipsum oppidum obiacentibus cultis, seu quia lacuum altitudine in quo<s>

1 exiit *del. Ded; fort. ex<imie, licet nunquam non> sit gratior, a. s. e.* 11 *fere op<tima quaeque usibus con>venientibus non secernebatur* 12 *udīdignū C* 14 *frigore (Schul) et splendore transposui (cf. p. 38, 2) splendore īrigore.*
 7 (= et) C 15 *fideis C* 20 *inferior Ded īterior C*
 24 *aquam excidisse statuit Heinr* 27 *tribā C* 28 *paucissimis Schul paucihis C* oppidum *Rubenius (elect. II, 35) oppidis C* 29 *altitudinē C* quos *Pol quo C*